

cernit, nisi ad illum confugiat? A quo enim præterita bona, quæ possidet, manarunt, futura etiam, quibus eget, manare debent. Videtis igitur, quam præclara virtutum documenta ex hac philosophia consequantur: ad quæ tractanda occasionem nobis gratuita Matthæi, ceterorumque apostolorum, vocatio præbuit.

## §. I.

Sed quoniam vocantis Domini gratiam vidimus, vocati alacritatem & obedientiam expendamus. Quam quidem Matthæus ipse tacuit; Lucas autem expressit, dicens, (a) illum relictis omnibus sequutum fuisse Dominum: hoc est, reliquisse propria, qui forte rapere solebat aliena. Tanta enim divini spiritus vi a Domino tractatus est, tantoque sequendi illum ardore flagravit, ut non eum pecuniarum amor, quas habebat; non lucra, quæ sperabat; non reddendæ rationis vestigialium cura, non hominum iudicia, non Pharisæorum obtreccionēs a sequendo Christum deterrere poterint.

Sed hic fortasse quum aliquis tanta alacritate hunc publicanum videat vocanti Domino pa-

ruisse, quæret, quid sit in causa, quum Dominus, (b) *qui vult omnes homines salvos fieri*, omnes ad se se incessanter vocet; alii quidem prompte & alacriter vocantem sequantur, alii vero sequi renuant? Duo sunt, quæ huic quæstioni responderi solent, quorum alterum ad hominum, alterum ad divinæ vocationis & auxilii discrimen pertinet. Quum enim omnes homines arbitrii libertate præditi sint, quidam, hac libertate recte utentes, vocanti Domino consentiunt, seque illi obsequentes & morigeros præbent: alii contra, ea abutentes, obedire renunt; qui (c) in vacuum gratiam Dei recipiunt. Quam rem D. Augustinus Pharaonis & Nabuchodonosoris exemplo confirmat: quorum uterque a Deo vapulans & plagis excitatus, alter quidem durior effectus (d) in mare mergitur, alter emendatus (e) revocatur ad regnum: quia ille prave, iste recte libertate suæ & divinæ vocatione usi sunt. Deinde id etiam provenit ex divinæ vocationis, divinique auxilii varietate. Duo enim auxiliorum genera Theologi statuunt, quibus Deus homines ad se vocare solet: quorum alterum sufficiens

(a) *Luc. 5. 11.* (b) *1. Timoth. 2. 4.* (c) *2. Corinth. 6. 1.* (d) *Exod. 14. 28.* (e) *Daniel. 4. 33.*

ciens appellant, alterum superabundans, quodque omnem superat duritiam. Et quidem priori illo auxilio excitati homines, aliquando convertuntur, aliquando converti renunt: hoc autem posteriori, quoniam majoris gratiæ & virtutis est, nemo non convertitur. Unde D. Augustinus, de hoc auxilii genere loquens, ait: *hæc gratia a nullo duro corde respuitur: quia ideo datur, ut duritia cordis penitus auferatur.* Utriusque vero auxilii vim atque naturam vobis apertissimo exemplo commonstrabo. Monet angelus Domini iustum Loth, (a) ut e Sodomis egrediatur, secumque filias & generos educat; quod Dominus civitatem illam demoliri statuerat. Hoc ille nuntium ad generos detulit, qui tamen visus est eis quasi ludens loqui, & ideo ab eis contemptus atque neglectus fuit. Quum autem angeli instarent atque urgerent, isque, ut generos servaret, moram faceret; apprehensum angeli foras eduxerunt, & ut se ipsum in monte salvum faceret, monuerunt.

Hoc igitur exemplo cernitis, fratres, & sanctum Loth, & generos ejus fuisse imminentis periculi admonitos; sed alter ille,

aliter isti. Isti namque, si opportune monenti obtemperare humiliter voluissent, a periculo liberarentur: ille vero, quum exire dissimularet, ab angelis apprehensus, extra periculum positus est. Ad hunc ergo modum Dominus, omnes homines a gehennæ incendiis, & peccati morte liberare volens, quosdam quidem sufficienti auxilio vocat, quo possent a peccato surgere, si velent; quorum tamen multi, ut isti generi Loth, surgere nolunt: alios tamen secundum voluntatis suæ beneplacitum majoribus auxiliis, vehementiorique impulsu vocat; qui, sic a divina gratia præventi, & potenter excitati, semper vocanti Domino parent. Et quidem prius illud auxilium ad omnes homines quam latissime patere, Theologi definiunt: nec id quidem temere faciunt, ut quidam immerito reprehendunt. Quid enim aliud illa Salomonis verba indicant: (b) „sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem „suam, in capite turbarum clamat, in foribus portarum „urbis profert verba sua, dicens: usque quo parvuli digitis infantiam? „&c. Quibus verbis aperte indicatur, non minus a divino lumine collustrari

(a) *Genes. 19. 15.* (b) *Prov. 1. 20, 21. 22.*

ri animas, quam a radiis Solis illuminari corpora. Nec enim minus late patet lux Solis justitiæ, (a) qui *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, quam hujus corporei Solis lumen, qui flammis suis omnia terrarum opera lustrat.

Ceterum posterius hoc auxilium ad pauciores spectat, ad illos videlicet, quos divinæ gratiæ liberalitas hoc tanto munere donare dignatur: quæ quum nemini ad salutem desit, nullique injuriam faciat, qui nihil cuiquam debet; salva integritate justitiæ, quosdam illo, quosdam hoc ad se auxilio vocans, nec illis accusandæ ipsius justitiæ ansam præbet, & istis amplissimam prædicandæ ejus misericordiæ materiam tribuit. Hoc igitur superabundanti auxilio & Matthæus evangelista, & ceteri apostoli a Domino vocati sunt. Quod idem ipse Dominus testatur, quum ait: (b) *non vos me elegistis, sed ego elegi vos*: hoc est, non vestris meritis, sed singulari electionis meæ gratia, hujus tanti muneris amplitudine donati estis.

Ex his aurem, quæ diximus, aperte liquet, cujus periculi sit, a gratia excidere, & in lerale peccatum labi; præsertim si quis in

eo diutius persistat. Quisquis enim hoc facit, in manifestum discrimen salutis suæ causam adducit. Incertum enim est, an Deus illum superabundanti auxilio ad pœnitentiam vocet: & incertum est etiam, an is sufficienti auxilio, quod nemini deest, uti recte velit; quum plurimos, atque adeo innumerabiles pœne, videamus, qui hoc auxilio ad meliorem mentem non redeunt. Utrumque igitur hujus hominis conversio incerta est. Quod igitur majus periculum esse potest, quam hoc tantum salutis æternæ negotium in tam apertum discrimen conjicere? Quod quidem periculum tanto majus est, quanto diutius lapsus homo in peccato jacet. Gravi namque consuetudinis pondere pressus, tanto difficilius a peccato surget, quanto plura peccavit. Unumquodque enim peccatum velut pondus quoddam est, quod oneri præjacenti adjungitur. Unde iniquitas (c) velut talentum plumbi esse dicitur. Quemadmodum ergo qui vires\* habet, quibus quinquaginta librarum pondus portare facile possit, si huic ponderi nova onera adjicias, difficilius illud portare valeat: ita qui a recenti peccato, quod esset facilius, non

(a) Joann. 1. 9. (b) Joann. 15. 16. (c) Zachar. 5. 7. 8.

non surget, quin potius nova peccatorum pondera veteribus adjungit; multo difficilius surget. Quid igitur hic dicent, qui multos jam annos in peccati cæno voluntantur? qui, quamvis singulis annis scelera sua confiteantur, protinus tamen ad ea revolvuntur. Si enim, ut propheta dicit, (a) *iniquitas est quasi talentum plumbi*; quo labore, qui sub tam multorum talentorum pondere pressus jacet, a peccato surget? Ut enim recte Hadrianus pontifex ait: „ raro „ homines secundum ultimum „ potentiæ operantur: quod hac „ in re opus est, quum peccati „ onus tot scelerum accessioni- „ bus fuerit auctum. „ Videtis ergo, fratres, cujus periculi sit, a gratia Dei excidere, & in peccatis diu perdurare. Sed ad sequentia veniamus.

#### §. II.

Sequitur enim, D. Matthæum splendidum in domo sua convivium Domino apparasse. Quod quidem magnum alacritatis & lætitiæ, quam de conversione sua conceperat, argumentum est. Legimus, Herodem, qui infelicissime natus est, natalis sui diem convivio magnifico celebrasse. At quanto justius Matthæus evangelista hunc vocationis suæ

diem celebravit, quo in novam vitam, non corporis, sed animæ, nec temporariam, sed æternam, divina vocatione animatus est, vel certe a morte ad vitam excitatus? quemadmodum de luxurioso filio ad pœnitentiam converso pius pater ait: (b) *mortuus erat, & revixit; perierat, & inventus est*. Legimus item, (c) Abraham patriarcham magnum convivium fecisse, quo die Isaac dilectissimum filium ablactavit; quod jam puer a lacte depulsus adolevisset, solidiorique deinde cibo nutriendus esset. At Matthæus noster, animadvertens, se a fallacibus & venenatis mundi delitiis atque opibus ablactatum, & ad cælestis gratiæ epulas invitatum, vel, ut apertius loquar, a diaboli servitute manumissum, & ad libertatem filiorum Dei translatum; convivium hoc multo splendidius apparavit, quo animi sui alacritatem, & pium affectum testaretur. Quid ni hoc faceret, tanto munere donatus? Qua, quæso, lætitia exsultaret homo, ab aliquo tyranno captivus, & ferreis catenis alligatus, & in obscurissimo carcere positus, si ab aliquo principe solveretur, & in libertatem assertus magnis opibus ab eo di-

ra-

(a) Zachar. 5. 7. 8. (b) Luc. 15. 32. (c) Genes. 21. 8.

raretur? Quanto ergo majori lætitia afficietur, qui divinæ lucis splendore collustratus, horrendas peccati tenebras, & durissimam peccati servitutem, in qua tamdiu jacuit, animadvertens, vera libertate, verisque divinæ gratiæ opibus se locupletatum cernit? Quo enim captivitas animæ, quam corporis, durior, & quo cælestes opes terrenis præstant, hoc alacritas & lætitia hæc major est. Quam quidem lætitiā D. Augustinus perceperat, (a) quum, hac divina luce illuminatus, & a peccati servitute liberatus, ad Dominum clamare cœpit: (b) *o Domine, quia ego servus tuus, ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ. Dirupisti vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis, &c.* Hujus vero cælestis luminis & libertatis effectus mox explicat, dicens: (c) *quam suave mihi subito factum est, carere suavitatibus nugarum: & quas amittere metus erat, tunc dimittere gaudium fuit.* Quibus verbis concessam a Domino libertatem aperte demonstrat; quando ferreum cupiditatis jugum, quod ad illud usque tempus excutere a se non potuerat, tunc excussum prius sensit, quam ipse excutere conaretur.

(a) *August. in Confes.* (b) *Psal. 115. 16. 17.* (c) *August. loc. cit.* (d) *Isa. 2. 4.* (e) *Actor. 8. 36.* (f) *Ibid. v. 39.*

Hæc igitur nova ac verè miranda humani cordis commutatio atque libertas huic lætitiæ materiam præbet. Unde quum Isaias lætitiæ hujus magnitudinem aptissima similitudine lætas segetes metentium, atque victorum spolia distribuentium expressisset, lætitiæ protinus causam subjecit, dicens: (d) *jugum enim oneris ejus, & virgam humeri ejus, & sceptrum exactoris ejus superasti.* Quibus verbis tum hostis antiqui, tum cupiditatis nostræ immanitatem atque potentiam designavit: a qua supernæ gratiæ beneficio, qui a Domino vocati sunt, liberantur. Eandem etiam lætitiā nobis repræsentat eunuchus ille Candacis reginæ, (e) ubi Philippo cælitus ad se misso, Christi mysterium atque divinitatem agnoscens, & ab eodem baptisimi gratiam recipiens, hac verà libertate & gratia, cælestibusque divitiis donatus est. Sic enim de eo scriptum legimus: (f) *ibat autem per viam suam gaudens.* Quid ni gauderet, qui ex diaboli mancipio se in regnum & libertatem filiorum Dei mirabiliter translatus vidit? Eandem quoque hodie lætitiā Matthæus noster facile ostendit, quum hoc

tam

tam magnificentum Domino epulum, ceterisque amicis & publicanis præparavit. Hoc enim perinde est, ac si cum bono illo & sollicito pastore diceret: (a) *congratulamini mihi, quia inveni non ovem, quam perdideram, sed me ipsum, qui perieram.* Ut autem vos, fratres, hujus percipiendæ lætitiæ desiderium capiat, illud vos admonitos velim; hanc lætitiā, quæ initio conversionis oritur, majorem aliquando esse, quam quæ ab adultis in virtute sentitur. Ut enim qui ruri semper vixerunt, ubi in insignem aliquam & opulentissimam civitatem venerunt; si ea præsertim celebri emporio, & portu navibus referto, ornata sit; quocumque deflexerit oculos, velut admirabundi, non sine magna voluptate, urbis moenia, amplas ædes, navesque, quas numquam viderant, demirantur; quæ tamen admiratio post aliquot dies usu ipso decrescit: ita plane quicumque in abjectissimo sceleratæ vitæ statu vixerunt, ubi ad amplas divinæ gratiæ opes percipiendas & contemplandas everti sunt, numquam satis tantam rerum dignitatem & novitatem mirari possunt: quæ tamen admiratio, ubi diu rebus divinis assueverunt,

minor esse nonnumquam incipit, quam quum nova fuit. Rerum enim novitas, in rebus etiam spiritualibus, sicut admirationem majorem, ita majorem quoque lætitiæ causam affert.

Eadem vero alacritas effecit, ut Matthæus omnes alios ad Christum adducere, & felicitatis suæ participes efficere voluerit. Hoc enim inter cælestium & terrenorum bonorum amorem distat; quod terrenorum amor, quanto est major, tanto magis recondere & servare sibi studet ea, quæ amat; cælestium vero amor quo major est, eo magis communicare omnibus studet, quod ipse diligit. Hinc D. Augustinus: *ubi, inquit, gustaveram, Domine, lumen tuum, fremdebam, quod aliis indicare non possem*: hoc est, quo magis gratiæ tuæ opibus fruebar, eo ardentius ceteros ad eas invitare studebam; eorum videlicet sortem miseratus, qui tantorum bonorum extorres essent. Nec D. Augustinus modo, sed quicumque his delitiis atque opibus fruuntur, quicumque torrente divinæ voluptatis potantur, adeo sitienter hæc eadem cælestia dona ceteris communicare appetunt, ut, si fieri posset, per publicas vias & plateas ingredi, &

ad

(a) *Luc. 15. 9.*

ad cunctos mortales vociferari vellent: o filii Adam, quid facitis? quid quaritis? cur vos ipsos vano labore conficitis? cur, veræ felicitatis fonte relicto, per lacunas putidas & pestilentes, quæ sitim vestram non extinguere, sed acuerere possunt, deerratis? O quas delicias! o quas divinæ gratiæ opes, quæ vobis ad manum & in promptu sunt posita, ad quas a Deo facti & informati estis, amittitis! O quam facili negotio, quam modico labore thesaurum indeficientem, cælestes opes, aquam sapientiæ, inestimabiles delicias vobis parare liceret! (a) *Usque quo ergo parvuli diligitis infantiam, & stulti ea, quæ sunt sibi noxia, cupient, & imprudentes odibunt scientiam? Convertimini, inquit divina sapientia, ad correptionem meam. En proferam vobis spiritum meum.* (b) *Spiritus autem meus super mel dulcis, & hereditas mea super mel & favum.*

Hoc ergo spiritu, hoc eodem affectu sanctus Matthæus publicanos & amicos adduxit ad Dominum, ut, ejus divino colloquio & convictu inescati, relictis terrenis cupiditatibus & lucris, eundem Dominum exemplo suo

(a) *Prov. 1. 22. 23.* (b) *Eccli. 24. 27.* (c) *Apocalyp. 22. 17.* (d) *Exod. 26. 3.*

sequerentur, ejusdemque felicitatis & gratiæ participes fierent. Hoc est autem, quod in Apocalypsi Dominus præcipit, quum ait: (c) *qui audit, dicat, veni.* Hoc item quod ipse in tabernaculi fabrica designavit, quum ejus cortinas sic inter se se colligari præcepit, (d) ut cortina cortinam traheret. Hoc autem in ecclesia fit, quum is, qui divino amore incensus est, alios incendere, & ad Christum trahere contendit.

Sed dum Matthæi laudes persequimur, Domini laudes oblitum sumus. Quis enim hanc tantam Domini humilitatem, cum summa caritate conjunctam, satis mirari queat? quum animadvertat, calorum Dominum, angelorum regem, & totius naturæ conditorem, qui in sinu Patris felicissime accumbit & requiescit, ita se salutis nostræ gratia dimisisse, ut non solum terras invisere, & cum hominibus versari; sed etiam inter publicanos & sordidos atque infames homines ad mensam accumbere, cibum una capere, miscere colloquia non erubuerit, ut ipsos lucrifaceret. O quam vere te medicum hoc in loco appellasti, Domine! Medici enim est,

non

non inter sanos, qui medico non egent, sed inter ægrotos versari. Medici est, vulnerum saniem atque putredinem non horrere, sed ea ad motis manibus fovere, circumligare atque tractare. Indignum vobis, o Pharisei, videtur, quod se Dominus ad publicanorum convivia dejecerit. Ego vero contra asseveranter dico, longe dignius & excellentius esse hoc, quam cælum & terram condidisse. Alterum enim omnipotentia, alterum divinæ bonitatis immensas opes declarat. Magis autem Dominus de bonitatis suæ magnitudine, quam de potentia viribus, gloriatur. Bonitatis vero proprium est, omnes alios bonos, hoc est, sui similes, efficere. Quod si hujus rei gratia majestatem suam Dominus abjicit atque demittit, quo se se hac de causa magis demiserit, hoc majora bonitatis & benignitatis suæ documenta & exempla constituit.

### §. III.

Nemo tamen ex hoc loco anam arripiat cum pravis hominibus versandi. Aliud enim perfectis, aliud imperfectis, aliud in virtute confirmatis, aliud infirmis convenit. Ad hos autem Apostolus ait: (a) „ scripsi vobis in

„ epistola, non commiseri fornicariis: non dico fornicariis hujus mundi, alioqui debueratis de hoc mundo exire; sed si is, qui frater nominatur, fornicator est, aut immundus, aut avarus, cum hujusmodi nec cibum sumere. „ (b) *Corrumpunt enim bonos mores colloquia prava: & (c) modicum fermentum totam massam corrumpit.* (d) *Qui enim, ut Sapiens ait, tangit picem, inquinabitur ab ea: & qui communicat superbo, induet superbiam.* Unde liquet, facilius esse, bonos malorum consortio corrumpi, quam malos bonorum societate meliores fieri. Hæc est enim magna illa generis humani miseria, quam Gregorius Theologus lamentatur his verbis: „ hoc est, quo „ vitium probitatem maxime sumperat, quodque ipse animadvertens indignissime acerbissimè meque fero; quod quum res „ facile imitabilis & prompta sit „ improbitas, nihilque minoris „ negotii difficultatisque sit, „ quam malum fieri, etiam si nemo ducem se nobis ad vitium „ prabeat; rara tamen atque ardua est virtutis adeptio, quam „ libet multis modis ad eam invitemur atque trahamur. Quod „ etiam ipsum a beatissimo Ag- „ gao

(a) *1. Corinth. 5. 9. 10. 11.* (b) *1. Corinth. 15. 33.* (c) *1. Corinth. 5. 6.* (d) *Eccli. 13. 1.*

„ gzo animadversum mihi fuis-  
 „ se videtur, quum admiranda  
 „ illa verissimaque imagine ute-  
 „ retur: (a) *percontamini ex le-*  
 „ *ge sacerdotes: num si caro san-*  
 „ *cta in veste cibum aliquem aut*  
 „ *portionem, aut vas denique ali-*  
 „ *quod tetigerit, rei admota san-*  
 „ *ctitatem protinus allatura est?*  
 „ Quod quum sacerdotes per-  
 „ negassent, (b) *percontamini rur-*  
 „ *sus, inquit, si qua res impura,*  
 „ hoc est, si pollutus in anima  
 „ ista omnia tetigerit, *num pol-*  
 „ *luetur?* Responderunt sacer-  
 „ dotes, *polluetur.* Caro ergo  
 „ sancta non sanctificat, quæ tan-  
 „ git: caro vero polluta pol-  
 „ luit. Quibus verbis hoc signi-  
 „ ficare videtur, virtutem ejus-  
 „ modi esse, ut eam homines  
 „ non nisi summo labore adipi-  
 „ \* sci queant; quemadmodum  
 „ nec humida materia ignem fa-  
 „ cile concipere solet: contra  
 „ vero ad vitiorum sordes omnes  
 „ fere mortales promptos pro-  
 „ pensosque esse; non secus, ut  
 „ opinor, ac stipula ad ignem  
 „ ob natura siccitatem facile ac-  
 „ cenditur atque consumitur. Ci-  
 „ tius enim exiguum vitium u-  
 „ berrime largissimeque cuiquam  
 „ impertiri queat, quam vel co-  
 „ piosissima virtus parce com-  
 „ \* municari. Nam & exiguum ab-

„ sinthium amarorem suum mel-  
 „ li celerrime impertierit: mel  
 „ contra nec duplo quidem ma-  
 „ jus dulcedinem suam abstin-  
 „ thio infuderit. Ac parvo qui-  
 „ dem lapide submoto flumen  
 „ totum in pronum trahitur: e-  
 „ jusdem autem impetus firmis-  
 „ simo etiam aggere cohiberi  
 „ reprimique vix potest. „ Hæc  
 Theologus. Quæ vir sanctus ad  
 imperfectorum hominum doctri-  
 nam prudenter admonuit: quum  
 viris tamen perfectis, qui caute  
 se gerunt, non magis aliquid ex  
 malorum contubernio accedat,  
 quam Solis radiis ex immundis-  
 simarum rerum contactu, quas  
 quotidie attingunt.

Pharisei autem, personarum  
 discrimina ignorantes, incogni-  
 ta causa sententiam adversus  
 Dominum pronuntiarunt, unde  
 ad ejus discipulos ajunt: *qua-*  
*re cum publicanis & peccatoribus*  
*manducat magister vester?* Mos  
 est eorum, qui vel ambitionis  
 vel invidiæ morbo laborant, vir-  
 tutibus, quas in aliis vident, &  
 quibus ipsi carent, indigna vi-  
 tiorum nomina imponere; ut ipsi  
 quidem non virtutibus illis ca-  
 rere, sed ab illis vitiis se immu-  
 nes esse ostentent: sic igitur Pha-  
 risæi, quum non essent ea hu-  
 militate & caritate præditi, ut  
 se

(a) Aggæi 2. 12. 13. (b) Ibid. v. 14.

se ad hujusmodi contubernia  
 propter infirmorum salutem  
 demitterent, quod ea res eo-  
 rum existimationi officere vi-  
 deretur, ne harum virtutum  
 laudibus inferiores Domino  
 apparerent, virtutibus ejus  
 turpia vitiorum nomina impo-  
 fuerunt; quo ipsi non his vir-  
 tutibus carere, sed magis ab  
 hoc crimine alieni esse cense-  
 rentur. Sic videmus, illos, qui  
 vix unquam ad divina sacra-  
 menta, nisi fere coacti, acce-  
 dunt, eos insectari atque mor-  
 dere, qui illa devotius fre-  
 quentant. Quum enim religio-  
 nis & officii hujus commenda-  
 tio in eorum dedecus cedat, qui  
 ea carent; illi contra, non qui-  
 dem virtutis, sed temeritatis &  
 audaciæ religioni nomen impo-  
 nunt: ut ita demum ipsi non  
 parum religiosi, sed minime  
 audaces & temerarii esse judi-  
 centur.

Ceterum Dominus, nihil  
 hac improborum obreftatione  
 commotus, appositissima simi-  
 litudine eorum calumniam e-  
 lulsit, *Non est, inquit, opus va-*  
*lentibus medicus, sed male ha-*  
*bentibus. Euntes autem discite,*  
*quid est, quod per Oseam Domi-*  
*nus dixit: (a) misericordiam vo-*  
*lo, & non sacrificium. Vox*  
*Tom. III.*

plane atque sententia Deo au-  
 ctore digna, quæ maxime im-  
 mensam ejus in genus homi-  
 num bonitatem & caritatem  
 declarat. Quum enim sacrifi-  
 ciorum religio ad Dei gloriam  
 pertineat; misericordia vero  
 ad levandas hominum miseras  
 spectet: quanta illa Dei boni-  
 tas & caritas est, quæ, sui quo-  
 dam modo oblita, ad homi-  
 num miseras sublevandas in-  
 tentos nos esse vult; immo ve-  
 ro opus hoc sacrificii nomine  
 donat? sic enim per Apostolum  
 ait: (b) *beneficentia autem &*  
*communio nolite oblivisci: ta-*  
*libus enim hostiis promeretur*  
*Deus.* Hoc autem inter utrum-  
 que sacrificii genus interesse,  
 cardinalis Cajetanus ait, quod  
 misericordiæ sacrificium ex na-  
 tura sua Deo gratum est: vitu-  
 lorum autem mactatio, nisi re-  
 ligionis virtute condiatur, ni-  
 hil habet, cur Deo, solius vir-  
 tutis amatori, grata sit. Qui  
 quamvis omnibus virtutum of-  
 ficiis maxime capiatur, miseri-  
 cordiam hoc in loco se maxi-  
 me diligere profiteretur: quam  
 sacrificiis anteponit. Cujus rei  
 causa esse videtur, quod quum  
 is misericordiam præcipue col-  
 lat; (c) *miserationes enim ejus*  
*super omnia opera ejus: non*  
 B pot-

(a) Osee 6. 6. (b) Hebraeor. 13. 16. (c) Psalm. 144. 9.

potest, quum seipsum diligit, sui similes non diligere, quum similitudo conciliatrix amoris \* sit. Unde sicut aquilam ferunt, pullorum suorum generositate ad Solis radios explorata, quos oculis inconniventibus Solis splendorem sustinere viderit, tamquam legitimos filios sibi-que similes diligere atque nutrire; ceteros autem tamquam nothos sui-que dissimiles a nido abigere: ita summus ille misericordiarum pater in extremo iudicio misericordes homines, hoc est, paternæ misericordiæ sectatores, intra sinum gloriæ suæ amanter excipiet; crudeles autem & immisericordes procul a conspectu & complexu suo præcipites in tartara dabit.

Quum autem duplicia esse constet misericordiæ opera; quorum quædam ad corporum, quædam ad animarum salutem spectant; & hæc quidem tanto sint illis nobiliora, quanto anima corpori, & spiritualia bona corporeis præstant: S. Matthæus horum præcipue studio omnem vitam suam dicavit. Quod enim aliud munus apostolo & evangelistæ propositum est, quam omnia vitæ studia salutis animarum impendere, & pro illis, quum opus ita fuerit,

vitam ipsam & sanguinem fundere? Utrumque autem beatus Matthæus præstitit: qui, in Æthiopiâ profectus, quæ illi provincia in divisione orbis terrarum obrigerat, immanes & barbaras nationes ad fidei & pietatis cultum, doctrina & miraculis adduxit; &, regio puero e morte ad vitam revocato, regem patrem cum uxore & totam provinciam ad fidem Christi convertit. Sed rege hoc defuncto, Hirtacus quidam regnum obtinuit: qui Iphigeniam, prioris regis filiam, sibi uxorem optabat. Matthæus vero, quo auctore virginitatem illa voverat, ut in sancto virginitatis proposito perseveraret, eandem hortabatur. Hirtacus igitur, molestissime ferens Iphigeniæ virginitatem, constanter suis votis obstantem, Matthæum, quem ejus consilii auctorem esse noverat, ad altare sacra facientem gladio confodijussit. Atque ita beatus Matthæus & apostoli & evangelistæ martyrisque coronam adeptus est. Cujus sempiternæ felicitatis Christus Dominus participes nos efficere dignetur, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

IN



IN FESTO  
B. MATTHÆI EVANGELISTÆ  
CONCIO SECUNDA,

IN QUA SANCTORUM QUATTUOR  
animalium mystica visio, quam Ezechiel propheta vidit, explicatur.

*THE. Similitudo vultus animalium, facies hominis, & facies leonis a dextris ipsorum quattuor: facies autem bovis, & a sinistris ipsorum quattuor: facies autem aquila desuper ipsorum quattuor. Ezech. I. 10.*

\*\*\* Uoniam ecclesia ho-  
\* **Q** die beatissimi Mat-  
\* thæi evangelistæ fe-  
\*\*\* stum diem celebrat;  
non alienum erit, sacram Ezechielis prophetæ visionem, quæ quattuor illa mystica animalia describit, in præsenticoncione, Domino adspirante, explicare. Hæc enim animalia, sanctorum evangelistarum, & perfectorum virorum mores, officia & dignitatem designare, ecclesia in hac sacra solemnitate declarat, quum, ad Dominum loquens, ait: „tu in-  
„signes evangelii prædicatores  
„animalium cælestium figura  
„præsignasti. His namque cæ-

„leste munus collatum gloriosis  
„indiciis es dignatus ostende-  
„re.„ De hac igitur mystica mirabilique visione, quæ sancti patres observarunt, quæque temporis angustia permiserint, hodie dicturi, cælestem opem, sacratissimæ Virginis interventu, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Quemadmodum medici, quum \* ægrotos animadverterint fastidio laborare, & ob eam causam de vita periclitari, varios modos condiendi cibos quarunt, ut; quod sub una specie & condimento fastidium parit, sub alia jacentem atque prostratum edendi excitet appetitum;

B 2